



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1699.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Primas jussu Romani Pontificis, Regemque Poloniae Fridericum Augustum humili obsequio fuit deveneratus.

ANNUS 1699.

Romæ die 18 Maji, festo Ascensionis Dominicæ publicata fuit ritu solenni, inter tubarum tympanorumque festivos strepitus præfente Pontifice cum Patribus purpuratis Bulla Jubilæi Romani sive Ordinarii, quod modò ex recepto Ecclesiæ more quovis anno vigesimo quinto à Romanis Pontificibus fidelibus indulgeri solet.

Huic Jubilæo datum est initium 24 Decembr. in pervigilio Nativitatis Domini post apertam Portam Auream per consuetas cæremonias, quas obivit hoc anno, impeditis ab hac functione per infirmitatem corporis summo Pontifice & Cardinali Cibo, Cardinalius Bouillonius Sacri Collegii Pro-Decanus.

Eodem hoc anno ad iteratas preces & litteras Regis Christianissimi damnatæ sunt ex libro Francisci Salignac Archiepiscopi Cameracensis, cujus titulus : *Maximes sur la vie interieure des Saints*; propositiones 23. quæ sapere videbantur errores Molinosii. Bulla damnationis, ut primùm delata est in
Galli-

Galliam, mox ita volente Rege, ab Archiepiscopis & Episcopis per omnes Ecclesiæ Gallicanæ Diœceses vulgata & exactissimè observari iussa fuit.

Die 24 Februarii ingressa est Viennam regia Josephi Romanorum & Ungariæ Regis Sponsa, Wilhelmina Amalia, Joannis Friderici Ducis Hannoverani, qui 1650 Assisii in Italia Catholicis adscriptus, filia natu minima, ea pompa & magnificentia, cui vix similem se meminit vidisse Vienna.

Tandem etiam in Hungaria referatæ fores pacis, & porta belli tam diuturni quàm cruenti, & Turcis funesti occlusa. Dies fuit 26 Januarii, quo Carlovizii, quod oppidum est Sirmii in Hungaria inferiore non procul Petrivaradino, confectum negotium, & pax ad annos 25 conclusa inter Augustissimum Imperatorem Romanorum, & Portam Ottomanicam. Die eodem in certas conditiones pacis convenit cum Turcis Respublica Polonorum. Cum Moschis pactæ sunt induciæ ad biennium. Cum Venetis actum multum, sed conclusum nihil. Victoria, quam de disjecta classe Mezomorti reportarat mense Septembri anni prioris Delphino Reipublicæ Architalassus, animos addiderat

derat Venetis, ut duriores pacis leges proponerent, quàm pateretur fastus Barbarorum, cui demum etiam cedendum fuit.

In Ratisbonensibus comitiis diu multumque deliberatum de conciliandis Calendariis Juliano atque Gregoriano, eo tandem eventu, qui dudum haberi potuisset, nisi multis sponte errare libuisset.

Studiofius ibidem laboratum, ut reperiretur explicatio art. 4. Pacis Riwicensis, quæ ita satisfaceret Catholicis, ut A catholicis non displiceret, qualem tamen vix reperire licebit.

In Gallia denuò coire incipiunt atræ belli nubes fulminibus prægnantes, quæ minari videntur gravem Europæ tempestatem.

ANNUS 1700.

Romæ acriter agitata controversia de veneratione Confucii Philosophi, Sinenfium Legislatoris, defunctorumque parentum, an damnanda ut superstitiosa, an permittenda Neophytis ut cultus merè politicus, qualis pronuntiatus fuit à Sacro officio 1656. sub Alexandro VII. per decretum solenne, cujus declaratione sapienter usi PP. Soc. Iesu. ad Christianæ rei incrementum Sæculo medio non integro ultra sexagesies cente-

cente-